



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,

Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

Monacellus, Franciscus

Venetii, 1706

Juramenti Testium in iisdem causis Formula XII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62406](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62406)

Juramenti Testium recipiendorum super eisdem Causis.

F. O R M U L A XII.

S U M M A R I U M.

1. Juramenta Testium in Processu super Beatificat. Servorum Dei debent recipi tactis Sacris Scripturis, etiam si sunt Sacerdotes, & Prælati, exceptis Cardinalibus, & Episcopis, qui jurant tacto pectore.
2. Testes debent esse personæ graves, & fide dignæ.
3. Testium hujusmodi depositiones debent recipi in locis deputatis in litteris remissorialibus.

Ego infra scriptus tactis Sacrosanctis Evangelii coram me positis, juro dicere veritatem, tam super interrogatoriis, quam super articulis, super quibus examinabor, necnon servare secretum, nec alicui penitus revelare, tam contenta in iisdem interrogatoriis, quam responsiones, ac depositiones à me factas, sub pena perjurii, & excommunicationis latæ sententiæ, à qua non nisi à Summo Pontifice (excluso etiam majori Pénitentiariorum) præterquam in mortis articulo absolvı possim: Et ita promitto, & juro: sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

A D N O T A T I O N E S.

1. Hæc Testium juramenti forma præscribitur in iisdem Decretis novissimis Innoc. XI. d. pag. 9. nec prætermittenda, præsertim in eo, quod juramentum præstetur tactis Sacris Scripturis ab omnibus Testibus, etiam si Sacerdotes sint, & Prælati, exceptis Cardinalibus, & Episcopis, quorum juramentum sufficit, quod recipiatur tacto pectore, ut observat Matt. loco citato dicitur p. 5. c. 2. nu. 59. ac injungi solet in litteris remissorialibus.

2. Advertere debet Judge, quod cum agatur de re gravi in hujusmodi causis,

debent semper recipi, & admitti (quantum fieri poterit) personæ graves, fide dignæ, & præfertim Ecclesiasticæ, Dignitates, Canonici, & Sacerdotes, ut monet Matt. dicitur par. 5. cap. 5. nu. 10.

3. Et quod eorum depositiones recipiantur in Ecclesiis, Oratoriis, aliisque piis locis ad id deputatis, ut pariter in litteris remissorialibus præscribi solet; nisi infirmitas Testium, vel alia urgens necessitas aliud suadeat. Cætera ad hanc materiam pertinentia videndi sunt, Matt. qui integrum volumen in lucem dedit, & Contulor. qui præcedenter alium tractatum de eadem re evulgavit.